Zwettl, 1. Viertel 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Te ipsum iudica sic. Considera sic diligenter quid facis et quid non facis, quid facere debes et quid facere non debes. Ad invicem hec conferendo considera si idem est quod facis et quod facere debes, et si idem est quod non facis et quod facere non debes. Quod si ita est gaude. Si autem idem est quod facis et quod facere non debes, et idem quod non facis et quod facere debes, time. De proximo sic iudica. Vide quid faciat: si certum bonum, si dubium bonum, si certum malum, si dubium malum. Si certum bonum parvum magnum, magnum maius existima. Si dubium bonum, verum puta. Si certum malum magnum parvum, parvum minus existima. Si dubium malum, bonum puta. Inter te et proximum sic iudica. Vide quid facis proximo tuo, et quid ille tibi. Si ille tibi bonum facit et tu ei bonum reddis, non es malus. Si ille tibi malum et tu ei malum, non es bonus. Si ille tibi bonum et tu ei malum, malus es. Si ille tibi malum et tu ei bonum, bonus es. Si hec intelligis et facis, facis iudicium et iusticiam, et sollicitus ambulas cum deo tuo. Quecumque aliud iudicandi modum in singularis iudicii genere tenueris peccasti, et ad te pertinet exaudire dominum dicentem: Nolite iudicare ut non iudicemini, hoc est nolite ita iudicare quia si in tali iudicio iudicaveritis iudicabitur de vobis. Hec est de publico iudicio. Quod ideo publicum vocatur quia non unius est sicut illud superius sed multorum. Tale iudicium ordinabiliter est habendum. Alius sit iudex, alii accusatores, alii testes. Causarum qualitas recte iudicanda, si pura communicatione, si digna degradatione, vel depositione, vel exilio. Attendendum si reo presente, si sub iureiurando contra eum dictum sit testimonium, si ex auditu ab aliis aut certe specialiter se scire dicant. Si scriptis actum est, si partibus presentibus sententia recitata est. Si accusatus facultatem defendendi se habuit, sed et de personis testificantium et accusantium subtilissime querendum cuius conditionis, cuius opinionis sint, ne inopes sint, ne forte aliquas prius contra accusatum inimicicias habuerint. Si quid horum sollempniter agi non potuerit, res divinum iudicium expectare debebit secundum illud: Nolite ante tempus iudicare quo adusque veniat dominus. In generali iudicio omnia cogitationum locutionum et operum secreta et publica rimabuntur, et maxime sive singulare sive publicum iudicium si lege prescripta non processerit requiretur.

Quanto magis placent que dicis, tanto me tibi obligatiorem facis. Fuit vero et in sexu fragili gratiam domine que sedes est gratiarum omnium libet intueri. Fuit in numero sanctimonialium quedam non solo nomine virgo. Neque enim de sorte fuit earum virginum in quibus Christum mentitur antix quam turpitudinem vite falso nominis honore vestivit. Cum instantissime vacaret ieiuniis in divinis studiis vegetior fuit, in nullo sequens eas que post ieiunium deminutum supercilium et operta facie vix unum oculorum libant ad videndum. In obsecrationibus infatigabilis perduravit. Devotioni suarum orationum horas furabatur et loca quibus deo et non hominibus representaretur. In omni assiduitate devotissimi laboris sui in vigiliis in ieiuniis et obsecrationibus ad dominam eam per quam in omnes mulieres benedictio refloruit, propensiore salvationis effectu iugiter interpellavit, et nec immerito quidem ut dicitur umquam ab eius vestigiis sequendis et implorandis beneficiis discessit. Unde gloriosa mater regis glorie quam expansum sinum misericordie ei presto esse innotuit, dum se ipsi in visu noctis presentem exhibuit quam eam continui diurni et nocturni laboris indefessa invitare vel potius attrahere in suum auxilium non cessavit. Siquidem in horrore visionis nocturne quando solet sopor occupare homines predicta dei famula videt astantem sibi quam ut suis necessitatibus adstaret semper imploraverat. Amicabiliter illa "Dormis" inquit "o filia. Dormis Eulalia, dormis?" Hoc quippe nomen erat huic ancille dei. Expavit vero ad verba eius et subito agnita familiari domina se non dormire deficientibus pre stupore sermonibus ut potuit expressit. "Et ne timeas" inquit. "Quid matrem vereraris filia?" Tum demum quam tam fideli michi deservis obsecro, decet te ex presentia mea potius in spem erigi quam timore resolvi. Quod tibi timendum existimes que non solum integra animi devotione sed et tociens inculcata auribus meis iocundissima illa angelica salutatione influis in affectum meum." Deinde subintulit tale commonitorium. "Cum michi" inquit "Ave insinuas magnificum est gaudium et munus gratie quod michi representas. Sed dum audio gratia plena, multo magnificentior est interius gaudii demum gratie que in me exuberat. At dum dominus tecum perstringis succedit magnificentissimum, succedit infinitum et ineffabile gaudium et novo antique illius redemptionis que per me venit populo dei resultat tripudio. Moneo ergo" inquit "ut dum eo deveneris in illa salutatione, ut dominus tecum duo verba omni acceptione dignissima auribus meis suavissime inferre debeas, extendas vocem, distinguas sillabas, ut gaudii illius copiam et me habere sinas et ipsa inde quantum datur communices." Post hec verba virgo dei evigilat corpore, corde enim etiam dormiens vigilabat in domino. Itaque quam prius angelicam salutationem c.l. vicibus in die proferebat, tum deinceps et ideo moras rumpebat et festinanter proferebat. Tum deinceps .l. vicibus in die eandem protulit, sed moram fecit et devotionem quantum licuit extendit. Locum autem dum

76

ZWETTL
BIBLIOTHEK